



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**ITINERARI[I] || ITALIAE || RERVMQ. ROMANARVM || LIBRI
TRES ||**

Schottus, Franciscus

Antverpiae, 1600

De insignibus militaribus à Pontifice Rom. Principibus deferri solitis. XIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70633)

pua contrahendi temporis causa fuit, ut videlicet maior frequentiorque caelestium gratiarum copia proueniret; non pecuniarum, sicut quidam false, magis quam false iactitant. Quid enim hoc saeculo his moribus tantum lucri pontificio arario ex stipe illa collatitia & arbitraria accedat, non video; quae potius ad basilicarum, siue aedium sacrarum fabricam, pietatisque culturam conseruari solet. Summo Pontifici interea non leuis incumbit cura, ut in vrbe, & ecclesiae ditionibus vbique locorum ad tantum populorum confluxum commeatus abundet copia, annonae prouideatur vilitas, utique itinera reddantur a latrociniis tuta peregrinis, quae quidem sine magnis sumptibus praestari nequeunt. Sed de Iubileij origine & causis iam satis.

EIVSDEM PIGHII

DE INSIGNIBVS MILITARIBVS

A PONT. MAX. PRINCIPIBVS

deferri solitis.

CAP XIII.

Honos ingens à summo Pontifice deferri interdum solet, qui principibus maximis raro contingit ob occasionum raritatem. Mos etenim vetustus iam à multis saeculis inoleuit; desumptus, ut apparet, ex Machabæorum historia sacra; in qua libro II. cap. xv. legimus, Iudam ducem exercitus Iudaici, priusquam iniret contra Nicanorem praelium, vidisse in somnio summum sacerdotem Oniam propulo orantem, Hieremiamque prophetam tradentem sibi gladium aureum cum tali exhortatione

tione ad proelium capessendum: *Accipe sanctum
 gladium munus à Deo, in quo deicies aduersarios popu-
 li mei Israel.* Aggressus igitur praelium Iudas,
 compulsus ab hostibus Sabbatho; victor, occi-
 so Nicanore, prostravit ad xxxv. hostium mi-
 lia. Atque hinc occasio desumpta videtur sacri-
 ritus istius, vt Romani pontifices singulis an-
 nis in præclara natalis D. N. IESV CHRISTI
 nocte, priusquam exordjuntur sacrificia, thure
 & aqua lustrali consecrent, & sanctis precibus
 inaugurent *ensem affabrè factum, aurea vagina,
 baltheo, capu'q; aureo instructum; & eius mucro-
 ni impositum galerum ex holoserico molli ian-
 thino confutum, duplicatumque exuuiis muste-
 larum, vel, vt quidam vocant, inalpinorum mu-
 rium candidissimis, fascia vel diademate aureo
 circumdatum, & margaritis plurimis circumte-
 xum, exornatumque.* Nobilis & opima hæc
 semper habita est strena, quam parat ea nocte
 solam Pontifex summus magno cuiuspiam prin-
 cipi donandam, qui bene de rep. Christiana
 meritis est, vel bene mereri adhuc potest. Nec
 caret suis mysteriis aptissimis, quorum memi-
 nisse & exequi significata, Christiani ac pij
 principis interest. Rituales etenim pontificum
 libri docent, per *ensem* illum consecratum signa-
 ri imprimis Dei infinitam potentiam perma-
 neantem in Verbo, quo cuncta creauit, & quod
 tali die caro factum est: nimirum in CHRISTO
 Deo Filio, homine vero, Patrique æquali; cui
 data est omnis potestas in cælo & in terra, vt
 ipse cælum scansurus ad Patrem, dixit; man-
 dans eandem potestatem Petro, suisque colle-
 gis in Ecclesia vel ciuitate noua nuper ab ipso
 condita, & sanguine ipsius consecrata, aduersus
 quam portæ inferorum nõ essent præualitura.
 Cuius cum fundamenta firma in ouili suo pa-
 stor bonus iecisset, eius, vt dixi, gubernacula
 disci

discipulis, ac Petro tanquam capiti, Vicarioque suo, cum clauibus regni cælorum commisit: Iubens vti docerent omnia, quæ mandauerat & docuerat ipse; per baptismum & euangelium inuitarent omnes gentes ad salutem, & reciperent quoscunque in ciuitatem illam sanctam, extra quam vera salus nulla; & in qua cælestis politiæ leges ac mandata ipsius seruantur, atque imperium omne legitimum in terris à Deo proueniens Spiritus sancti nutu, & auspiciis rectè distribueretur. Diuinæ prouidentia, cuius nutu regna constituuntur humana, sacra mysteria quis dignè satis admiretur, & veneretur? dum perpendimus, eam sacræ illius politiæ suæ prætorium ac regale solium in arce imperij terrestri vrbe Roma collocare voluisse; quo gladius ille potestatis supræ, cui terrarum orbem iam subiecerat, auro diuinæ legis, Christianæque fidei tutius conseruaretur, atque salubrius regeretur. Itaque Petrus Apostolici ordinis Princeps ad hanc destinatur prouinciam, inferreque trophæum crucis Christi Romano Capitolio iussus est: quo veritatis æternæ lumen in salutem omnium efficacius faciliusque se ab ipso capite per totum mundi corpus effunderet. Designat igitur consecratus gladius item ille, ius, imperium, ac potestatem summam regendi in terris à Christo relictam Præsidi Ecclesiæ suæ Petro, & eius successoribus. A quibus Christiani, & pij principes etiam maximi quisque haud grauatim hoc iuris acceptant, & acceptant hactenus, qui se membra corporis ecclesiastici, & sanctæ à Christo constitutæ ciuitatis cives agnoscunt; & intelligunt, eius corporis esse caput vnum, cui membra singula (ni tabescere, & perire velint) subseruire debent. Atque in illa ciuitate rectorem à Christo positum esse cum potestate supræ Vicarium suum, cui magistra-

tus

ius subdelegati obsecundare pacis & concordia
caussa debent : ac nos omnes obtemperare,
quamdiu eius reip. priuilegijs gaudere volu-
mus, cogimur, propter Christum, cui nos in ba-
ptismo subieccimus. Manifestum enim est, na-
uem illam magnam reip. Christianę ab vno gu-
bernatore regi diuino nutu, tanquam ab animo
solo totum corpus: & licet ille clauum tenens in
puppi sedeat quietus, eius tamen imperio pa-
rendum tam nautis, quàm qui vnà nauigant, si
prosperè ferri cupiunt. Iam gladius à maiore
potestate principi traditus simul commendat
prudentiam & rationem rectam quæ bonum à
malo discernit: Admonet iustitię ad æquitatis
æquilibrium cum cura perpendendæ. Qua-
propter eius acumen anceps, ad prauum non
minùs paratum, quàm ad bonum destinatum, si
intemerarij vel maligni hominis manum inci-
dat, non sine causa tegitur, atque munitur auro,
per quod veteres olim Sophiam, siue sapien-
tiam allegoricòs semper intellexerunt: quæ in-
ter artes & scientias omnes ita excellit, vt *aurum*
virtute, pulchritudine, ac precio cetera metalla
superat. Hinc Salomonis in prouerbijs exhor-
tationem legimus: *Posside sapientiam, quia auro*
melior est; & acquire prudentiam, quia preciosior est
argenio. D. Ioannes in reuelatione sua hoc *au-*
rum ignitum appellat; ardore sancti Spiritus in-
flammatam & pectora penetrantem sapien-
tiam intelligens. Hoc ipsum Magi ab Oriente
venientes infanti obtulisse Christo regi nato;
hoc auro ab Hebræis Aegyptios fuisse spolia-
tos, per anagogen sacra etiam innuit historia.
Et quidem diuinus ille Plato, à nostræ religio-
nis placitis haud longè distitit, cum suis a seclis
sapiantiam, & animi pulchritudinem *obryzo, vel*
auro defecatiissimo sæpius comparat. Quinimo
gryphes atque formicas Indicas Aethiopicasq;
aurum

aurum in montē coaceruare, nec non custodire diligenter, fabulati sunt antiqui; insinuantes labore ac diligentia, & item animi magnitudine sapientiam adipiscendam esse. Nam formica laboris indefessi nobis exemplum præbet: & gryphus ex aquila & leone coniatum animal, vt fabulantur, simulachrum est generosi, & magni animi: ideoque non ineptè gryphes & formicas Apollini, sapientiæ præsidi, dedicarunt. Iam vides quàm aptè principis gladius, id est, legitima potestas à Deo data, ne lædat vel lædatur, sapientiæ ac boni consilij aureo tegmine conseruetur. Quoniam verò linguam constat in homine membrum pessimum atque optimum esse, paci atque concordia tam pestilens ac salubre, gladium quoque conuenienter veteres esse pronunciarunt, maledicos gladium in ore gestare dicentes. Admodum quidem aptè Diogenes Cynicus, cum audiret iuuenem formosum impudèter multa deblaterantem, Non te pudet, inquit, ex eburnea vagina plumbeum educere gladium? Ceterum gladij istius multo melior est vsus, vt vaticinia de Christo redemptore nostro apud Isaiam docent. *Posuit os meum quasi gladium acutum.* Nimirum D. Hieronymi ex sententia, vt spiritu oris sui interficiat impium. De quo gladio & Christus ipse loquitur in Euangelio: *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Malos quippe à bonis separando. Similiter Paulus *uiuum* ait esse fidei sermonem, *efficacem & omni gladio ancipiti acutiorem penetrabilioremque.* Ad Ephesios item scribens, verbum Dei *gladium spiritus* appellat. Aliter de Iudæis Christi persecutoribus, qui malè vsi sunt gladiis suis, Psalmista canit: *Dentes eorum arma, & sagittæ, & lingua eorum gladius acutus.* Item: *Excauerunt vt gladium linguas suas: vbi de calumniis & insidiis prauorum loquitur.* At ille

ille Christi Pontificis nostri gladius est vera se-
cespita, non tamen ut illa Romanorum Ponti-
ficum, ac Flaminum à Sexto Pompeio nobis
descripta, & in A. Aquitarum reliquiis inter sa-
crificorum instrumenta adhuc apparens, qua
carnem & ossa victimarum dissecabant: sed
quæ dispartitur, ut Paulus ait, mortiferos car-
nis appetitus à vivifico spiritu, *pertingens usque*
ad divisionem animæ & spiritus, compagum quo-
que ac medullarum, cum sit discretrix cogita-
tionum & intentionum cordis. Ceterum exi-
mito huic summi sacerdotis muneri *baltheum* ac-
cedit ex auro puro contextus, & pulcherrimè
elaboratus, quo cum honor & dignitas militaris
conferri solet antiquitus, eratque ducum, co-
mitum, ac principum gestamen. Quocirca
non ineptè vitiosum magnatem sic notat Saty-
ricus poëta:

ilia subter
Cacum vulnus habes, sed lato baltheus auro
Protegit.

Arguit libidinis & obscœnitatis vulnus, quod
nobilitatis ac dignitatis titulo tegere & excusa-
re plures volunt. Additur item gladio non so-
lùm *baltheus*: sed *galerus*, sive *pileus*, capitis nimi-
rum, quo nihil in vnaquaque re prius ac nobi-
lius est, regmen præcipuum: quod quidem ab-
solutæ libertatis, summæque nobilitatis habe-
tur insigne, non minus æstimatum sua signifi-
catione, quàm auri, gemmarum, ac materiæ
precio: cuius antiqua forma hemispherica
grandioris oui alicuius in æquas partes dissectæ
testæ similis ab initio fuit: qualia capitis tegu-
menta ex struthionum ouis capacioribus facta
Garamantas olim lubenter gestasse, Lucianus
in *Dipsade* tradit; nunc tamen planiore vertice
formant artifices mysteriorum ignari. Etenim
illa

illa galeri rotunditas superior cæli nos tegentis figuram concauam repræsentans mentem vitæque rationes omnes dirigendas ad æthera beatorum domicilium esse sedulo principem monet, cuius quadam imagine caput suum contegit. Idem significat *galeri color santhinus*, siue cæruleus, cæli tereni speciem habens: scilicet, vt Ennij poëtæ verbis dicam, *Cæli cerula templa* Principibus esse contemplanda docens: cui præfidet summus omnium conditor Deus, ab eodemque tanquam iustitiæ Sole procedens sancti Spiritus igneum numen: quorum hoc in latere per columbam candidam, ille per solis radiatum globum ex auro vnionibusque in ipsius Galeri vertice figurantur. Nec ociosus est *pellium ac margaritarum* candor ille niueus, Deo pergratus color, ad animum maximè translatus propter synceritatem, mentisque puritatem, quæ nos Deo conciliat, beatorum cæui adiungit, & quasi diuinos reddit; quando sanctiore spiritus flamma succensus animus, Dei mandatis se conformat, turpe nil admittit, nil conscire sibi patitur. Alba quidem omnia ex Pythagoræ etiam sententia semper habebantur bona, felicia, festa, & bene ominata: & propterea veteres Romani, cum Magistratus petere vellent, boni ominis causa cum toga candida prodibant in publicum. Ponticos autè, & Alpinos mures candidos, quos Armenios nunc vocamus, talis intemeratæ synceritatis atque etiam castitatis immaculatæ simbolo nobilitatos fuisse legimus, vtpote, qui candorem suum ament, atque spurcitas tantopere abominentur, vt, cum fouearum suarum ostia cæno illita vident, se potius à venatoribus capi patiantur, quàm eo fœdari velint. Pellis igitur ac margaritarum nitor admonere principem debet, vt animi candore, vitæque sincera probitate se gratum Deo
homi-

hominibusque præstet. Nec ab ipso scopo prorsus diffitum, quòd nationum omnium ferè consensu candida tanquam diuinis congrua sacris adhibeantur, atque imprimis *albata vestes*, id est, puræ religiosæque, vt Seruius commentatur. Erant autem *lineæ* omni solutæ vinculo, nullis maculis, nullis obsitæ squaloribus, nec funestæ aut fulguritæ, vt Caper & Hyginus annotarunt in illud Virgilij: *Velati lino, & verbena tempora vincti*. Et nostra iubet religio linteis, iisque purissimis indutos tunicis sacra Deo canere. Colorem album ait Tullius libro secundo de legibus, præcipuè decorum esse Deo, cum in cæteris, tum maximè in textili. Quid autem Tullium adfero? quando scimus **CHRISTI** nostri Seruatoris indumenta, cum gloriam suam charioribus discipulis patefaceret, niuis in speciem alba apparuisse, atque etiam angeli illius, de cælo descendentis, qui lapidem ab ostio monumenti reuoluit. Hæc quidem luce clarius nobis ostendunt, quàm à nobis requirat Deus cor mundum, vitam immaculatam, & animi synceritatem; quum votis, & precibus hæc expetere, & eius rei memoriã in signis iam dictis etiam inter sacra nobis obuersari perpetuò velit. Et hæc quidem de strenx pontificiæ mysteriis ideo diffusius, quòd pauca disertè prodita de his inueniam.

Summus Pontifex munus ipse Principi genua submittentem tradit, & defensionem Christianæ fidei, Ecclesiæque Romanæ Catholicæ commendat; solemnibus verbis Deum Opt. Max. precatus, *vti Catholicum Principem, Christi tyronem, ac deuotum sanctæ matris Ecclesiæ filium, sua gratia ad heroicas virtutes prouehat, armis sua iustitia, sincera fidei, rectæque religionis muniat, & instruat aduersus quoscunque fidei*
Catho-

Catholica, & sancta Romana Ecclesia inimicos: utiq; per ipsum vim aequitatis bonorum ad tutelam exerceat; molem iniquitatum malaram ad vindictam pariter euertat: Princeps è dextra summi Pontificis munus acceptans, veneratur ex more CHRISTI in terris Vicarium, Latinis verbis pro tanto honore gratias agit immensas: testatus Superos, sibi nihil magis in votis esse, quàm vt diuina suffragante clementia, posset vel ex parte summi Pontificis, totq; Procerum exspectationi satisfacere. Gladium deinde nobili ministro suo deferendum tradit: qui ante Crucis sanctæ signum donum illud gestat, dum è sacrario summus Pontifex deducitur. Tum valedictis post factam congratulationē Cardinalibus cum Legatis, Princeps, cui gladius cum galero præfertur, à castri Angelici Præfecto, Palatij item magistro, omnique adeo nobilitate familiaque Pontificia, & satellitio Palatino st: patus, magna cum pompa, & tympanorum sonitu, tubisque præcinentibus per porticum miliariam è Palatio domum deducitur.

DE TIBERIS AVCTV,

CAP. XIII.

ANNO CHRISTI

M. CCC. LXXIX. 9. die Nouemb. ad tres cubitos flumen creuit. Signum apparet ad S. Mariam supra Mineruam

1422. die festo S. Andreæ, sub Martino v. Pont. creuit altius cubito sesquialtero.

1476. Sixto IIII. sedente aluco excessit die VII. Ianuarij.

1495.